

## **Disputatio inauguralis de dentitione puerorum difficili.**

### **Contributors**

Ortlob, Johann Friedrich, 1661-1700.  
Finger, Christian Gottfried, active 1694.

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Literis Christoph. Fleischeri, [1694]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ruq9d3ta>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



I. D. T.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

5

# DENTITIONE PUERORUM DIFFICILI,

*Quam Indultu*  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

*In*  
**ALMA PHILYREA,**

SUB PRÆSIDIO  
*Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi*

DOMINI

**JOH. FRIDERICI ORTLOBII,**

Phil. & Med. Doct. Anat. & Chirurg.

Profess. Extraord. Facult. Med. Assessor. Graviss.

& Major Princip. Collegii Collegiati,

*Patroni atque Promotoris sui Æstumatisimi,*

**PRO LICENTIA,**

Summos in Medicina honores & Privilegia Doctoralia capeffendi,

*Die XXV. Maji, M. DC. XCIV.*

H. L. Q. C.

Publicè ventilandam exhibet

**M. CHRISTIANUS Gottfried Singer/**

Lipsiens.

---

LIPSIÆ, Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30768718>



Q. D. B. V.



Vanquam partes osseæ, utpote minus sensatæ, non adeo numerosis morbis videantur obnoxia, mirum tamen est plura dari vitia, quæ dentes afficiunt. Taceo jam nigredinem atque sordes, quæ etsi eos satis deformes reddant, faciliùs tamen iterum absterguntur: plura autem adhuc alia sunt eos enormiter lædentiâ. Nunc enim caries & erosio vel vermes, nunc stupor, algor, stridor, dolor acerbissimus, it. mobilitas & vacillatio, vel etiam casus & defectus huic aut illi subjecto maxime molesta sunt. Non dicam in præsentî de prava conformatione, vel quando ratione magnitudinis interdum excedunt, ad quem modum *D. Augustinus l. 15. de Civ. D. c. 9.* de quodam refert, cui dens fuerit, qui in centum vulgares dividi potuisset: vel ratione numeri, quando nonnullis provectæ licet ætatis canini atq; incisores defuerunt, de quibus *Miscell. Nat. Cur. Germ. Dec. II. Ann. VI. Obs. 122. p. 253.* vel quibus loco dentium continuum os in superiori maxilla fuit, ut Prusie Regis Bithyniorum filio, de quo *Plin. Hist. Nat. l. VII. c. 16.* ut & Pyrrho Regi Epirotarum, referente *Plutarcho in*



*Pyrrho & Alex. ab Alex. c. 9. 1. Valer. Max. l. I. c. 8. ext. 12. v. Grassecus, it. Schenckius Obs. Med. p. 198.* De aliis, in quibus duplex, vel nonnunquam etiam triplex ordo dentium observatus fuit, v. *Idem l. c.* His vero cunctis sepositis placuit pro Disputatione Inaugurali Dentitionem puerorum difficilem eligere, ita quidem, ut primo infantes tanquam subjectum, deinde affectum ipsum, hujus causas atque symptomata, posthæc Prognosin, tandemque curam exhibeam. Faxit DEUS feliciter!

§. 1.

**N**on solum ratione anni temporum, sed etiam in primis ætatum morbos peculiare & quasi proprios accidere *Hippocrates sect. 3. Aph. 19. 20. & c.* rectè annotavit. Ita enim quod ætatem attinet parvis ac recens natis pueris aphthas, vomitus, tusses, umbilici inflammationes &c. ad dentitionem accedentibus gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia &c. paulò adultioribus luxationes vertebrarum & anhelationes, calculorum generationes, lumbricos, ascarides &c. ad pubertatem accedentibus febres diuturnas, & hæmorrhagias narium &c. juvenibus hæmoptyses, tabes, febres acutas &c. grandioribus adhuc pleuritides, peripnevmonias, dysenterias, hæmorrhoides &c. senibus denique diarrhoeas, catarrhos, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexias, cachexias, visus hebetudinem, auditus gravitatem & plurima alia contingere dicit.

§. 2.

Etsi vero senectus adeo numerosis affectibus sit obnoxia,



noxia, ut hinc etiam morboſa appelletur, dubium tamen eſt, annon infantes multo frequentius, nonnunquam etiam vehementius ægrotent, ſiquidem propter teneram, ipſorum conſtitutionem non ſolum à quavis injuria facile afficiuntur, ſed & ratione diætæ non levia patiuntur mala. Non dicam de vulgari errore, quando invitis pueris pulmenta & cibi varii generis ingeruntur, unde ventriculus nimium impletus aut malè affectus non contemnenda ſymptomata infert; magis enim adhuc teneros lædit vitioſum lac, quod è mammis nutricum ſugunt, quæ non ſolum tempore lactationis inepta quævis ingerunt, ut acetaria, caſeum & ſimilia, ſed & animi pathematibus plus juſto indulgent, unde loco laudabilis alimenti venenum infantibus ſugendum præbent. v. *B. Ettmüllerus Valetud. Infant. p. 11. ſeqq.* His ſepoſitis Dentitio inprimis eſt, quæ huic ætati propria ex inſtituto naturæ neceſſario accidens, non rarò admodum periculofa eſt, ita, ut hinc non pauci præ ſummo dolore moriantur.

### §. 3.

Subjectum itaque hujus pathematis ſunt pueri, non quidem ſenſu rigoroſo, qui ſecundum ætatis ſeptenarium attigerunt, ſed potius Medico, à primo ſcilicet partus tempore ad annum uſque pubertatis, in qua ſignificatione *Hippocrates & Galenus* paſſim, it. *Hier. Mercurialis, Franc. Ranchini & Jac. Primerofius de morbis puerorum*, aliique recentiores Medici vocabulum illud adhibuerunt.

### §. 4.

Dum vero de Dentitione puerorum difficili ago, altera ex parte eam hic excludo, quæ absque difficultate, quanquam rarius, contingit; altera quoque ex parte neque ſera, quæ in ultima ſenectute quibusdam accidisse ob-



servata est, ad scopum meum faciet, dum v. g. aliis post annum octogesimum, aliis post centum & viginti annos vel novi prodierunt dentes, vel aliqui, imò nonnunquam etiam omnes perfectè regenerati sunt, de quibus videri possunt *Arist. l. 25. de hist. animal. Grassecus de fabrica Corp. Hum. p. 329. Cardanus l. 8. c. 43. de varietate. Sennert. Pr. Med. l. II. P. I. c. 10. Schotti Phys. Cur. p. 576. Ephem. N. C. G. Dec. I. Ann. IX. Obs. 134. p. 308. it. Obs. 171. p. 387. Dec. II. Ann. III. Obs. 15. p. 57. Ann. IV. Obs. 28. Schol. p. 74.*

§. 5.

Cur autem homines non æque ac cætera animalia cum dentibus nascantur, forsan hæc posset esse ratio, quod tales primis mensibus magis forent noxii, dum nutricum mammas iis læderent; usus præterea eorum nullus sit. Alimenta enim, quæ primis mensibus assumuntur, nempe lactinia atque pulmenta, masticatione non opus habent. Reliqua vero animalia, quæ statim durioribus assuescunt, iis non æque carere possunt. Hinc etiam olim prodigiosum, si quis cum dentibus nasceretur, & in foeminino sexu plane inauspicati ominis habebatur. Ita enim Valeria Regum Romanorum tempore dentata in lucem edita Sessapiæ, urbi olim florentissimæ exitio fuit, quâ de re videri possunt *Plin. H. N. l. VII. c. 16. Rosseus de Hum. Vit. princ. p. 206. Ephem. Dec. II. Ann. IV. Obs. 28. Schol. p. 73. & c.*

§. 6.

Hoc tamen non perpetuæ esse veritatis exinde colligo, quòd sæpius annotatum fuerit absque peculiari eventu tale quid in utroque sexu accidisse. Exemplum his temporibus cognitum de Rege Gallia, qui dentatus natus fuisse dicitur, silentio jam prætereo. Sed non video, quid obstet, quo minus foetus robustior, præsertim si ultra debitum tempus in utero geratur, cum den-  
tibus



tibus prodire queat, eâdem ratione, quâ alios infantes jam crinitos, alios absque ullo fere capillorum vestigio, nemine hoc mirante, nasci cernimus.

§. 7.

Quandoquidem vero secundum relationem ægrorum Medicus morbi curam commodissimè instituit, magis infelices sunt infantes, qui doloris & partis affectæ sedem indicare haud possunt; ut proin non rarò fallacia non causæ ut causæ committatur. Interim non desunt indicia, ex quibus prudens Medicus dentitionem instare cognoscere queat. Illa enim non solum tempus suggerit, quod equidem pro diversitate subjectorum admodum variat, sed & gingivarum pruritus, quem, dum infantes digitos & quævis obvia in os immittunt, intelligimus, tumor præterea ruborque genarum, dentium eminentia intra gingivas albicantes, uberior salivæ in os effusio, indeque effluxus, quod Germ. *Geiffern* vocant, it. quando mammæ papillas sugentes gingivis stringunt & maxillas frequentius collidunt, it. aliquid masticantes contremiscunt. Sitis quoque continua, alvi ut plurimum profluvium, rariùs adstrictio, febris, similiaque dentitionem satis indicant.

§. 8.

Causam dentitionis difficilis veteres densitatem & duritiem gingivarum putabant, ideoque rarefacientia & emollientia commendabant. vid. *Sennert. Pr. l. II. P. I. c. II. p. 266.* Ex recentioribus verò *Sylvius Pr. p. 613.* aliique eam vel in dentibus ipsis, quando segnius excrefcunt, atque obtusiores sunt, unde difficiliter gingivas penetrant; vel in gingivis quærunt, quando nimirum ipsarum substantia solidior est, adeo, ut difficulter à dentibus se dividi patiantur. Observatur enim omni die in  
prove-



profectioribus majori cum difficultate dentes provenire, quam in junioribus.

§. 9.

Prodeunt autem primum incisores, ut plurimum inferiores, molares postmodum & canini. Cur tamen dentes canini acerbiorum præ aliis excitent dolorem, docente hoc Hippocrate & approbante quotidiana experientia, diversæ sunt autorum opiniones. *Fr. Ranchinus* equidem *Tr. de Morb. Puer. p. 226. it. Job. Doleus Encyclop. l. VI. p. 1006.* ideo, quòd acutiores sint, hoc fieri dicit, quod tamen minus verisimile videtur, ideo, quòd hac ratione eò facilius gingivas perforare apti sunt.

§. 10.

Ab his etiam diversus est *Sylvius*, qui dentes obtusiores difficilius gingivas penetrare posse assererat. Veriorem rationem subministrare videtur *Cass. Baubinus Theatr. Anat. l. III. c. 76.* qui nervulos & vasa sangvifera ad dentes caninos copiosiora & conspectiora, quam ad molares excurrere observavit; hinc enim dolores adeo enormes in eorum eruptione excitari videntur. Nec male! Comprobant hoc aliæ partes corporis, quæ, quòd copiosioribus vasis nervosis vel sangviferis gaudent, hoc magis ob spirituum copiosiore affluxum sensatæ sunt.

§. II.

Jam mihi animus non est, eos hic refutare, qui dentes ante eruptionem infantibus negant; etsi nimirum antea iis non tanta sit durities, qua postmodum gaudent, sed quo juniores, eò molliores existant, ita, ut in fine radices eorum molles & veluti mucosæ, ut *Domin. de Marchettis Anat. c. VIII. p. 96.* eas appellat, compressæ succum emittant. v. *Bidloo Anat. P. VI. Tab. XCII. fig. 8.* interim tamen ab Anatomicis observatum fuit, eos non solum in  
infan-



infantibus post mortem dissectis, sed & abortibus grandioribus in alveolis suis delituisse. Quid? quod & *Tb. Kerkring. Observ. Anat. 24.* sibi foetum quinque mensium oblatum esse scribit, in cujus maxilla inferiore bini dentes incisores apparuerunt, quod & in superiori maxilla se observasse ibidem refert.

§. 12.

Quæ ab aliis finguntur rationes, cur in uno subjecto citius & facilius, quam in altero dentes erumpant, it. cur non omnes simul, sed alii circa septimum mensem, vel unum aut alterum annum, alii tardius, circa annum forte trigesimum vel quadragesimum, in primis, qui vulgo dentes sapientiæ vocantur, prodeant, eas cum tanti non esse videantur, neque hujus loci sint, prætereo, præsertim cum pleræque à temperamento calido vel frigido, humido vel sicco petita sint, quæ his temporibus, nisi saniori sensu intellecta, locum non inveniunt.

§. 13.

Totum fere negotium eò recidit, ut dentitionem, duo præsertim difficilem reddere videantur. Alterum est impetus & conatus ille naturæ, quò delitescentes in alveolis suis dentes promoveri, & ruptis gingivis prorumpere debent. Hic verò ut plurimum nimius est, tum quod plures simul eruptionem moliantur, aut etiam singuli impetuosiore motu protrudantur. Et hinc facilè apparet, quod gingivæ fortius compunctæ pruritus, dolorem, imò propter irritationis vehementiam epilepsiam quoque inducant; aut etiam non difficulter reddi potest ratio, quomodo in ejusmodi humorum orgasmo febres, & secretiones tum salivæ, tum consimilis seri in glandulis intestinalibus copiosiores eveniant, atque ptyalismum & diarrhœam accersant. Interdum verò, rariùs tamen, robur illud



naturæ deficit, atque sic extrema potius algent, & infantes ad omnes actiones torpidiores observantur. Alterum est, quod gingivæ duriores dentium eruptionem impediunt, aut etiam alveolis suis dentes firmiter adhæreant, quàm quod ex iis liberari & ascendere valeant, de quo tamen superius actum est.

§. 14.

Liceat nunc ad symptomatum contemplationem pedem proferre, atque eorum ætiologiam ex causis modo recensitis derivare. Initium sumimus à prurigine, quæ inde excitari videtur, quod dentes maxillæ alveolis inclusi in majorem molem excrecentes membranas & fibras, quibus obteguntur, quaquaversus distendant, unde ab initio levior pruritus, diutius verò durans, præsertim cum ab incremento dentium continuò intendatur, in dolorem satis molestum transit.

§. 15.

Interea dum sanguis per arterias ad gingivas continuo affluit, per venas vero non æque commode reflueret, potest, quod dentes undique eas premant, aliter fieri non potest, quin tumorem non solum illius loci, ubi dens erupturus erat, sed etiam ob insignem illum consensum cum partibus vicinis, prout in odontalgia adultorum contingere videmus, non raro dimidiæ capitis sphaeræ, inferat, unde venarum intumescentiæ, gingivarum tubercula, atque vesiculæ plerumque accidunt.

§. 16.

Quemadmodum verò istiusmodi tumores præsertim in partibus nervosis occurrentes rarissimè indolentes esse solent; Spiritus enim nervis inhabitantes, quamvis etiam levissimam injuriam advertunt, hinc quoque eò acerbior dolor hic accidit, ob Spirituum scilicet uberiores afflu-



affluxum, dum natura dentium productionem molitur. Accedit etiam, quod acriores particulae sanguini admixtae vellicando nervos quinti paris, à cuius ramo quodam propagines ad singulorum dentium radices pertingunt, non minorem spirituum copiam adducant, atque dolorem fati vehementem excitent, qui admodum urgens in inflammationem atque postmodum in abscessum abit.

§. 17.

Dixi in antecedentibus sanguinem per arterias continuo quidem affluere, impediri vero quo minus æque commode per venas refluere queat, hinc apparet, unde major illa feri quantitas in locis superius denominatis secreta? Nimirum dum natura dentium eruptionem in illa parte molitur, majorem spirituum & sanguinis motum, excitat, pars autem hujus ferofior præ fibrosa longè feliciter secedens, à glandulis vicinis itemque vasis salivalibus excipitur, unde postmodum in oris cavitatem & extra eam spumescens effluit, quem effluxum non parum promovent dum varia in os immittunt, atque digitis gingivas terunt.

§. 18.

Serum hoc etsi extra buccas fluat, nihilominus de eo quoque ab infantibus supinis præsertim cubantibus deglutitur, hinc si blandius est atque naturale, absque noxa toleratur, si tamen minus temperatum sed acrius est, non parum fauces & laryngem erodit, unde tussis ut plurimum atque raucedo; postquam vero copiosius in ventriculum delatum fuerit, asthma stomachale, anorexiam, aepsiam, singultum, non raro etiam vomitum producit, vel intestinalia simul afficiens, ea ad diarrhœam plus minus ferofam, lenteriam etiam & affectionem coeliacam, uti *Ranchinus l. c. p. 238. itemque Fel. Platerus l. III. Obs. p. 803.* notarunt, stimulat. Quamvis alvi fluxus à sero quoque glandularum



intestinalium, ob turgescentiam supra memoratam hic copiosius secreto, provenire videatur; quemadmodum & catarrhus suffocativus partim à sero per laryngem ad pulmones delabente, partim ab ejus stagnatione aut orgasmo majore, partim ab ejus condensatione & visciditate, s. pituita suam originem sumit.

§. 19.

Quæ sitis causa sit, dentientes non parum affligentis, facile apparet. Æstus enim vehementius urgens non solum partium internarum, sed & oris calorem atque ariditatem producit; neque minima est seri quantitas inter ejulandum exhalans; quibus accedit ptyalismus ille continuus, cujus in §.ii. mentionem feci, item vomitus & alvi fluxus, quos ordinariè sitis insequitur.

§. 20.

Seri proin defectus necessario sui restitutionem indicat, adeoque ad sitim extinguendam vel mammas præbent nutrices, quarum lac sæpius admodum vitiosum est, adeoque quo plus eo infans fruitur, eò pejus se habet; vel si grandior est puer, potum in majori quantitate, & hunc quidem quò frigidior, eò copiosior avidius ingurgitat, unde aliter fieri vix potest, quin tormina, crebriores alvi dejectiones, singultus, nonnunquam etiam vomitus accidant.

§. 21.

Quod tamen alvi etiam adstrictio, quanquam rarius in hoc casu observetur, non adeo mirum est, præsertim si æstus febrilis diutius instet. Dum enim particule serosæ continuo exhalant, potu verò, quò eæ restituantur, iis vel interdicitur, vel is minus sapit, necessario alvus induratur, adeoque fæces non debito modo excernuntur. Accedit etiam pessima quorundam consuetudo, qui febrem sudore superare sperantes, sudoriferis miseros miserè excruciant, unde obstructions potissimum iis accidunt.

§. 22. Sed



§. 22.

Sed cum ii, qui debito somno fruuntur, levamen à dolore sentiant, hinc quoque eorum conditio peior est, qui vix per quadrantem horæ dormiunt, sed aliquot dies noctesque insomnes agunt. Dolor nimirum sine intermissione eos affligens nullam admittit quietem. Etsi enim tunc præ summa lassitudine oculos claudant, insomnia tamen turbulenta & pavores eos subinde resuscitant, unde continuam illam inquietudinem omnimodus virium defectus, nonnunquam etiam animi deliquium excipit.

§. 23.

Sic enim non rarò accidit, ut eò tempore, quo dentes erupturi sunt, summa virium prostratio infantibus accidat, ita, ut mortuis, aut qui animi deliquium patiuntur, haud videantur absimiles, nullam aliam ob causam, quam quòd spiritus ex dolore illo continuo, alvi fluxu, vigiliis, aliisque symptomatibus vehementioribus defatigati, munus suum obire haud amplius sufficientes sunt, sed ægri malo quasi victi succumbunt.

§. 24.

Scilicet quæ symptomata dolor continuus producere queat, quotidiana docet experientia, dum vulnus leviter inflictum, si incautius tractetur, febris sic dicta vulneraria insequi solet, quam tamen prudens Medicus adhibito in tempore legitimò anodynorum usu facili negotiò declinare potest. De aliis febribus ex dolore oriundis jam non dicam, cum in præsentis negotio quivis intelligat, quomodo in dentitione, si dolor interdum remittat, intermittens, si verò continuus duret, febris continua oriri queat.

§. 25.

Accidit tamen nonnunquam, ut ex continua fiat intermittens, quale exemplum *Ephem. Germ. Dec. II. Ann. IV. Obs. 28. p. 70.* suppeditant de puella nobili, it. de puero, cui



ex dentitione febris ab initio continua, postmodum in intermittentem mutata fuit, quæ ordinarium servans typum satis gravibus stipata fuit symptomatibus, & cum omnimoda virium prostratione ad biennium duravit. Simile fere quid his diebus mihi videre contigit, dum infanti, cui quartus dens caninus erat prorupturus cum posterioribus molaribus (supra quos gingiva tumescens cœrulea apparebat) febris tertiana superveniebat; ita tamen, ut etsi die vel hora febrili admodum languida esset, nihilominus diebus intercalaribus cibum potumque assumeret, atque cum aliis ludens vix ægra videretur.

§. 26.

Inter symptomata quibusdam evenientia merito etiam recenseo exanthemata ad habitum emergentia, præsertim verò Lipsiæ nostræ familiarem purpuram. Siquidem interdum dentitionis tempore vel totum corpus, vel certas tantum partes infestat, atque turgescentiâ illa desinente iterum evanescit, dum eâ durante per plures interdum hebdomadas conspicua fuit. Accidit hæc subjectis potissimum scorbuticis, quanquam non sine euphoria. Scilicet dum impuritates hæc acriores ad habitum deferuntur, minus nocent, quam si cum sanguine circulantur, ubi irritando facile motus convulsivos producere possunt. Quippe experientia suggerit exemplum, dum in quadam familia duo infantes ex epilepsia dentitioni superveniente mortui sunt, reliqui verò eruptionem dentium sine convulsionibus sustinuerunt, cum in illis nulla, in his vero dicta excretio dentitionis tempore observata fuerit.

§. 27.

Revera Epilepsia gravissimum est in dentitione symptoma, quod non rarò ad aliquot dies durat, & non prius, quam cum morte ægri remittit. Hujus quoque causam do-  
lorem



lorem esse exinde constat, quod non, nisi vel cum dolor maximus adsit, vel subjectum ex malo habituali ad eam proclive sit, accidat. Annuit his *Cl. Willis Patbol. Cer.c.IV.* qui motus convulsivos æque ac febres in dentitione ad dolorem velut causam immediatam referri debere censet. Dum enim acrimonia in subjectis debilioribus aut prædispositis continuo genus nervosum vellicat, ex intolerabili dolore tandem Epilepsia oritur.

§. 28.

Hæc de symptomatibus & causis symptomatum, progredior itaque ad alia. Quod ergo Prognosin attinet, duplicem *Hippocrates* statuit differentiam, 1) sc. ratione anni temporum, 2) ratione ætatis & constitutionis ægrorum, ita, ut nunc facilius & leviori molestia dentitionem tolerant, nunc verò gravius afficiantur & vehementioribus symptomatibus sint obnoxii.

§. 29.

Ratione anni temporum putat *Hippocrates* eos, quibus hyeme dentes erumpunt, non adeo affici, contrarium tamen statuit *Bald. Ronsseus de Hum. Vit. Princ. p. 207.* ubi dentitionem hyeme admodum dolorosam, neque gingivas tum consolidari asserit, mitiorem æstate, subitanæ autem, & sine omni fere dolore vere pronunciat, cui etiam assentitur *Jac. Primeros. de Morb. Puer. p. 58.*

§. 30.

Et si verò in utramq; sententiam rationes satis probabiles afferri queant, loquitur tamen experientia, non tam anni tempestatem, quam constitutionem puerorum dentitionem magis vel minus dolorosam reddere. Quolibet enim anni tempore alii gravius, alii levius afficiuntur; accidit autem interdum, ut hyeme mitior dentitio contingat, quòd ab externo calore minus infestantur, prout æstate, adeoque



adeoque potu copiosiori abstinent, è quo sæpius plura, ut antea dixi, incommoda oriuntur.

§. 31.

Ratione constitutionis ægrorum *Hippocrates* aliam dentitionem benigniorem, aliam periculosiorem fieri asserit. Eam quidem benigniorem experiri macilentos, item quibus febris vel alvi fluxus accidat, sc. quod in illa conatus naturæ juvetur, in hoc autem impetus nimius coërceatur, & impuritates primarum viarum aliis symptomatibus occasione futuræ removeantur. Contra vero periculosiorem dentitionem iis contingere *Hippocrates* aliique affirmant, qui somno nimio premuntur, item pingvioribus, & quibus alvus adstricta est, quod facile convulsionem patiantur.

§. 32.

Id tamen non perpetuæ & absolutæ esse veritatis, quibus puerorum cura demandata est, crebrioribus observationibus edoctæ scire poterunt. Scilicet non rarò accidit, ut præ dolore in ipso febrili paroxysmo convulsi moriantur, non minus quoq; quibus ex crebrioribus alvi dejectionibus vires consumptæ sunt, tandem succumbunt. Videri tamen possunt *Hipp. de dentit. Ranchin. l. c. sect. I. c. 1. p. 226. Primeros. de morb. Puer. P. II. p. 58. aliique.*

§. 33.

Quoniam indicationes præsertim ex causæ, & quidem continentis, remotione petuntur, facilè apparet duas præsertim exinde nobis nasci. *Primò* enim eò allaborandum, ut impetus naturæ, quò dentes erupturi promoventur, *vel* si nimius sit, quod ut plurimum accidit, compescatur; *vel* si deficiat aut remissior sit, adjuvetur: *secundo* ut gingivæ, si duriores sint, emolliantur, & ad eruptionem faciliorem disponantur. His aliam, symptomatum nimirum exin emergentium mitigationem jungere convenit, adeoque *tertio* symptomatum quoq; habeatur ratio.

§. 34.



Quod ergo primam attinet indicationem, è fonte quidem Chirurgico *Tb. Sydenham Tr. de Febb. p. m. 179.* commendat V. S. onem, ita, ut hac omisâ puerorum dentientium convulsionibus cum gingivarum intumescencia & dolore, quæ nono decimoq; mense superveniant, alia ratione auxilium ferri posse dubitet, adeoq; eam omnibus specificis vel decantatisimis, quæ hæcenus in hoc affectu innotuere, longe anteferendam esse, censeat.

Contrarium verò *Galenus* olim statuit, qui pueris ante annum decimum quartum sanguinem minuere prohibet. *vid. lib. de Curat. per sangv. miss. Jacchinus* quoque referente *Hier. Montuo Tr. de Infant. Febb.* quanquam sanguinis diminutionem minus largam in quibusdam casibus admittat, non tamen V. S. onem, sed hirudinum potius applicationem fieri jubet. Contra morem Gallorum *Montuus l. c. p. 4.* phlebotomiam omnibus modis in pueris dissuadet; quas adducat rationes, ibidem videri possunt.

Si dicendum quid sentiam, videtur equidem V. S. non contemnendum remedium, præsertim cum infantes ex largiori victu sæpius majorem sanguinis quantitatem colligant, quam ut iterum absumere queant, adeoq; abundantia sanguinis, jubente id methodo medendi, evacuationem postulat. Accedit etiam, quòd in aliis inflammationibus curandis V. S. egregium præstet usum, quoniam sanguinis imminutâ quantitate circulatio per vasa longè commodius fieri potest, atque sic remittente orgasmo vel effervescentiâ sanguinis, dolor quoq; multum mitigatur. Quoniam vero puerorum vasa, præsertim iis in locis, ubi V. S. instituenda, admodum tenuia sunt, atque parum conspicua, timendum, ne Chirurgus aut frustra ea petat, aut quod pejus, venas tenellas planè dissecet, ut hinc non levius oriatur malum. Nisi itaque de Chirurgi peritia certò nobis constet, tutius esse puto, eam intermittere.







usurpari possunt. Si vero æstus prostratarum virium causa sit, ab acrioribus his abstinendum, ne eundem denuo suscitemus, & tum fl. rosar. violar. borrag. bugloss. tiliæ, lilior. convall. &c. sufficiunt.

§. 40.

Quod secundam indicationem, scilicet gingivas emolliendas, & ad dentium eruptionem facilitandas, concernit; emollientia præsertim huc faciunt, atque hinc è regno vegetabili decoctum lactuæ à *Galeno* & *Capivaccio*, ab *Avicenna* autem Oleum lil. alb. & amygd. dulc. laudatur. E recentioribus *Sim. Pauli Quadrip. Bot. p. 54.* à *Camerario* ∇ m fl. cyani adhibitam esse scribit. Sic *Ephem. Dec. II. Ann. VI. Obs. 28. p. 77.* mucilag. sem. cydon. c. ∇ malvæ, it. decoct. althææ, fl. chamom. anethi & similia commendant.

§. 41.

E regno animali *Galenus* & post eum *Platerus* cerebrum leporis gingivis illiniendum, eundemque in cibo usurpandum *Aëtius*; imò quoq; cum lacte caprino decoctum assumendum, *Serenus Sammonicus*, svadet. Ad imitationem *Galenii Plinius* cerebrum oviculæ, citatus *Sammon. & Plater. Prax. Tom. II. p. m. 377.* cuniculi in vino coctum, it. bovinum, gallinaceum &c. *Ronsæus* suillum tum mansum tum gingivis illitum, *Sennertus* autem pullorum & avium quarumcunque cerebella deprædicant. Nimirum si quis istiusmodi uti velit, in horum delectum ut anxius inquirat, non opus est, cùm scopus unicus sit gingivas illis emollire.

§. 42.

Ut melius intentioni satisfiat, si priora non arriserint, loco eorum *Avicenna* & *Sext. Platon.* lac caninum; secundum *Plinium* autem lac caprinum, vel ex svasu *Capivaccii* lac asininum gingivis illiniri posset. Magis tamen emollit cremor lactis, it. butyrum non salitum, quæ *Sennert. Pr. l. II. p. 266. itemq; Ephem. l. c.* extollunt. Ab aliis, ut *Plinio*, *Ronsæo* &c. mel quoque, nec adeo incongruè, in usum vocatur. Si inflammatio simul adsit, succus è 69. fluviat. vivis contusis expressus admodum convenit: quo nomine etiam sanguis recens è crista galli gallinacei à plurimis tanquam peculiare specificum commendatur.

C 2

§. 43.



Sed hæc sunt emollientia liquidiora, quæ gingivarum durtiem corrigunt, pergimus ad ea, quæ pueris masticanda offeruntur, partim ut iisdem, si frigida actu fuerint, æstus atque inflammatio sedetur, dolorq; fibris quasi stupefactis minuatur, & sic eruptio facilitetur: partim, ut, quando maxillis eadem terunt, gingivæ perforentur, & dens egredi queat. Proinde dentem dextrum caninum lupi, it. equi ( ne tamen terram attingat superstiosè prohibentes ) *Plin. & Sammonicus*; viperæ masculæ *Aëtius*, urfi, vulpis, canis, leonis, *Ronsæus* commendant. Aliis convenientius videtur chalybem politum, vel crySTALLUM collo appendi, quibus gingivas atterant. Si quis majores sumptus facere velit, poterit ad imitationem *Aëtii*, qui jaspidem laudat, ex fragmento majori corallior. rubr. vel etiam ipso auro tale quid parare.

Quoniam vero rigida ejusmodi & dura quibusdam minus placent, quod videantur callum potius producere, aut dolorem exacerbare, flexibilia magis dentibus terenda exhibent. Sic *Ephem. Germ. l. c.* candelam ex cera virginea ad masticandum infanti præbere jubent, in cujus locum plebejis rad. althææ, vel irid. flor. it. rapam passam, aut lardi portionem usurpare usitatum est.

Ultimum tandem refugium est, ut gingivæ si duriores sint, eò in loco, quò tumore dentes se produnt, instrumento aperiantur, quod aliquoties felici cum successu in propriis liberis se tentasse scribit *Ambros. Paræus l. 23. c. 67. v. Schenck. l. c.* Etsi enim hæmorrhagia subsequatur, ea tamen levior est, ac facilè sedari potest. Modo infantes ob dolorem ita se gerant, ut Chirurgus administrationem sine periculo instituere possit.

Devenio tandem ad symptomata, ubi pruritus primum obtinebat locum. Hic equidem, si levior est, adhuc quodammodo toleratur, interim tamen dentem lupi, ferrum politum



aut simile quid, quo gingivas prurientes perfricent, infantibus subministrant. Si vero pruritus diuturnior, aut irritatio vehementior sit, dolor potius emergit. Huic præter superius enarrata emollientia præsertim conferunt anodyna. Eum in finem *Avicenna* succum solani svadet, ab eo tamen ob vim ejus nimis narcoticam *Capivaccius* l. 1. c. 52. p. 345. abstinere jubet: *Paschasius* gingivas theriaca magna perfricari vult, neque adeo inconvenienter; sed eorum in locum Opiata & Crocata commodius succedunt.

§. 47.

Pruritus & dolorem excipit tumor; adversus hunc non dubito, quin V. S. si tuto fieri posset, egregium præstaret usum: quoniam tamen ob rationes antea dictas non commodè administrari potest, de aliis cogitandum erit remediis. Itaque tum omnium optimè adhibebuntur blanda resolventia & discutientia, e. g. fl. sambuci & chamomill. in lacte decocti, cum miltioribus anodynis focianda. Cessante enim dolore & ebullitione sanguinis, tumor quoque sponte sua disparet.

§. 48.

Quæ contra tussim atque raucedinem commendantur remedia, plurimis quidem usitata sunt expectorantia; quoniam vero in pueris non æque locum inveniunt, qui pituitam non facile expuunt, sed iterum deglutiunt, evacuantia potius per alvum vel vomitum, quæ humores pravos educunt, itemq; temperantia multò commodius usurpantur. Quæ sub temperantium nomine intelligo, sunt imprimis  $\nabla$  ea, quæ, dum acrimoniam salis diluunt, humores tandem insipidos reddunt. His parum cedunt terræ pingves, ut terra sigill. cujusvis coloris, terra Lemn. bolus Arm. Marga, lac lunæ &c. it. quæ acrimoniam partim visciditate, partim vi sua balsamica enervant, e. g. gummi Arab. tragacantha, mastix, it.  $\triangle$  ea, fl.  $\triangle$ ,  $\triangle$ . lycopod.  $\triangle$  jolor. coryli &c.

§. 49.

Cuncta fere hæc videntur esse, quæ contra Asthma illud



stomachale, it. anorexiam & aepsiam, nec non singultum, utpote ex acriori sero enata vitia, tanquam appropriata remedia exhiberi possunt, præsertim cum æstus ut plurimum hic conjunctus acrium aromaticorum, it. volatilium usum non admittat. Haud incongruum tamen erit si antispasmodica fixiora, v.g. Cinnabarina, unicornu ver. ungu. alc. simul jungantur, in primis in asthma & singultu, ubi genus nervosum ab acrimonia humorum potissimum vellicatur. §. 50.

Vomitus autem etsi interdum criticus esse soleat, in primis quando cruditates acidæ, pituitosæ vel nidorosæ rejiciuntur, nihilominus, ubi tale quid non apparet, sed partim ex atonia ventriculi vomitus accidit, partim quod semel concitati quævis postmodum ingesta respuunt, de balsamicis & anodynis, nonnunquam etiam analeptis erit cogitandum. Ejusmodi sunt terrea recensita, it. terra Ⓟ balsam. ▽ cinnamom. simpl. & cydon. aut etiam è succo cydon. per fermentat. parata, cujus ultimæ effectum egregium satis novi.

§. 51.

Diarrhœam quod attinet, illa, si levior aut critica est, remedia non adeo postulat, quoniam cum euphoria tum accidit, & fere sua sponte iterum desinit; si tamen gravior est & symptomata, ut vires enormiter prosternantur, eò allaborandum, ut ante omnia humorum acrimonia temperetur, atque sic fluxus crebrior sistatur. Nimis vero adstringentia locum hic non inveniunt, contra terræ pingves, itemque Ææa insignem merentur laudem. Nec silentio prætereundæ sunt rad. temperantes, pœoniæ, althææ &c. it. Opiata & theriacalia, si tormina concurrunt in minori dosi exhibenda. §. 52.

Quæ adversus lenteriam & fluxum coeliacum præscribi possint medicamenta, ex antea dictis apparet, nisi quòd in lenteria, cum ventriculus potissimum sit affectus, huic quoque auxilium sit ferendum. Itaque olim sic dicta calida stomachica hic possent svaderi, si æstus id permetteret; quoniam tamen ille utpluri-



plurimum in dentitione conjunctus esse solet, ea potius, quæ in præcedenti §. recensui, erunt adhibenda. Si malum pertinacius est, ad fortiora adstringentia quoq; accedendum erit, qualia sunt O. Sacch. Hi, ros. rubr. rad. Ireos  $\nabla$  t. tormentill. bistort &c. Ufu externo *Platerus l.c.* oleum mastich. ventriculi & ventris regioni illitum, it. cataplasma ex cydon. pyris, ros. rubr. absinth. mastich. similibusq; paratum efficax se expertum asserit. Ante omnia vero in tali casu crebrior potus iis interdicens; alias enim vix quicquam solatii medicamenta afferent.

§. 53.

In alvi obstructione, cujus supra memini, eò allaborandum, ut alvus iterum solvatur, quem in finem humectantia & lubricantia, v.g. macilago sem. psyll. & cydon. it. rad. althææ, lil. alb. passul. min. ficus & sim. in forma decocti optimè conveniunt. Clysmata quoq; ex melle vel lacte parata non sine laudabili effectu applicantur.

§. 54.

Progredior ad sitim, hæc ut extingvatur, potum tenuem & refrigerantem præ  $\sim$  uoso convenire puto, siquidem omnia Spirituosa æstum augendo sitim vehementiorem excitant. Qui  $\nabla$  m crudam horrent, poterunt in ea crustam panis decoquere, vel etiam serum lactis, quod alii commendant, in locum illius substituere. Præterea quoq;  $\odot$  ata omnis generis dum refrigerant, sitis egregia sunt remedia: aliàs etiam ad fallendam sitim frigida, quæ in os immittant, infantibus subministrant.

§. 55.

Somnus autem ut debito modo redeat, ad hypnotica erit confugiendum, tam interno, quam externo usu admodum efficacia. Sic enim emulsiones amygd. c. sem. papav. alb. it. pulv. pueror. quem Crocus ingreditur, non inusitata sunt. Opium quoque ipsum ad imitationem *Sydenham* in vino Malvat. solut. absque periculo iis exhibetur. Externè cataplasmata ex papavere, it. emplastra ex oleo NM & Croco temporibus applicari possunt.



Adversus febrem refrigerantia in primis conducunt, quæ tamen non tam actu, quàm effectu hoc præstant, adeoq; potus frigidus à *D. Michael Pr. p. 279.* laudatus non tam huc referendus, quam emulsiones ex *fem. 4. frigid. maj. à Montuo* allegatæ. In primis vero *Data* sæpius memorata effectū laudabilem præstant.

Si purpuræ suspicio suboriatur, expellentibus, non quidem fortioribus, sed mitioribus opus erit. Talia sunt gñalia ut g diaph. f. & male, Antihect. Poter. it. Cinnabarina, nec non partes animalium ossæ, v. g. ebur rasp. dens hippopot. unicorn. ver. ung. alc. & c. & quæ ex utrisq; fiunt, ut *Specif. Cephal. D. Michael. & sim.*

In catarrho suffocativo, ut pituita educatur corpus quanto cyus evacuandum, tam per inferiora internè assumpta, & per clysteres injectos, quam per superiora, si commodè id fieri potest. Si enim totum corpus pituita refertum est, ut subitanea suffocatio immineat, frustra certe tentabis omnia, nisi purgantia, v. g. *G. G. jalappa, scammonium* similiaq; præmittantur. Quæ etiam locum habent, si à nimia seri copia malum hoc proveniat. In stagnatione verò resolventia aliquoties nominata eligantur.

Restat tandem Epilepsia, quæ in hoc casu nullo fere aliò remediorum genere, quam anodynis curari potest. Hinc *Tinct. papav. errat.* in hoc casu non inconueniens est. Si vero conditio ægri eam non admittat, v. g. in lactantibus, tum *Essent. anod. ex Opio c.* Spiritu quodam ardente parata in illius locum succedere potest. Clysmata quoque, in quibus capita *papav. errat. c. fem. decocta* sunt, cæteris in cassum adhibitis, quos jam pro deploratis habuerunt, non semel restituisse constat.

Sed hæc in præsentī sufficiant. Tibi *B. L.* integrum erit, vel omīssa supplere, vel quæ minus ad palatum posita sunt, emendare. *DEO v. T. O. M.* sit Laus, Honor & Gloria.